



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus V. De Postulatione Prælatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



TITVLVS V. De Postulatione Prælatorum.

A Jure Scripto & non-Scripto, seu Conſuetudinario, progredimur ad Personas Eccleſiaſticas: & imprimis quidem ad modos, quibus iſtæ aſſumuntur ad Prælaturas, Poſtulationem, Electionem, Translationem.

ARTICVLVS I.

De Poſtulationis Natura & Perſonis, inter quas ea celebratur.

SUMMARIUM.

1. *Natura Poſtulationis.*
2. *Qua ſubſidiaria eſt Electioni.*
3. *Et nititur gratiæ ſuperioris.*
4. *Poſtulant, qui eligunt,*
5. *Etiã jure ſpeciali.*
6. *Poſtulantur laborantes Canonicò:*
7. *Non Naturalis aut Divini Juris impedimentò.*
8. *Vel, in quo non facillè diſpenſatur:*
9. *Niſi aliquando vi Indulti.*
10. *Episcopus, qui Eccleſia renuntiauit, eligi poteſt.*
11. *Confirmatus, etiã Titularis tantùm, poſtulandus eſt:*
12. *Licet electus,*
13. *Et inferiores prelati eligi valeant*

14. *Cardinalis Episcopus ſolemniter,*
15. *Presbyter & Diaconus non ſolemniter poſtulat in Episcopum:*
16. *Quò Ordine minor eſt,*
17. *Electionem acceptandò, Cardinalatum non amittit.*
18. *Religioſus non-Mendicans ad diuerſi,*
19. *Et, ſecundum aliquos ad ſui Ordinis Prælaturam extraneam poſtulandus eſt.*
20. *Verius ad hanc eligi poteſt:*
21. *Etiã per ſuffragia majora.*

Poſtulatione, latè quacumque & gratiæ cujuſcunque, propriè & in Rubricæ noſtræ ſenſu, eam ſolum petitionem ſive preces ſignificat, quibus eligentes Eccleſiæ ſuæ eum, quem Jura non concedunt, Prælatorum præfici petunt à ſuperiore, Gonzalez in c. 1. n. 21. Quò modò accepta, extraordinaria ad Prælaturas via eſt, & à Panormit. in Rubr. n. 1. & Laiman. *ibid.* eſſe dicitur, Capituli ſive Collegii concurs & ad ſuperiorem deſtinata petitio; ut ad Prælaturam Eccleſiaſticam diſpenſatiuè admittere velit perſonam, quæ propter defectum, ſive impedimentum Canonicum eligi non poteſt. Ex qua, ab aliis DD. paſſim recepta deſinitione.

Patet primò, Poſtulationem introductam in ſubſidium electionis; ut, qui per hanc

E e 2

per hanc, Juris impedimentò obstante, promoveri nequit, superioris impedimentum submoventis beneficiò ad Prælaturam Ecclesiasticam evehatur, Sylvester V. *Postulatio n. 1. Ad Prælaturam*, inquam, hoc est, Ecclesiæ vacantis dignitatem Pastoralem; quia, sicut Electio, sic & Postulatio propriè tantùm spectat Ecclesias seculares aut Regulares, viduatas Pastoribus, c. *Quia propter 42. ibi, Qui Ecclesia viduata provideant de Pastore, de Electione*; qui eis cum ordinaria & generali Jurisdictione præsint, sive Episcopi, sive Abbatis, Præpositi vel Prioris nomine vocentur, Glossa in c. *cit. V. Viduatis* & Tholosanus de *Elect.* cap. 4. n. 2.

3. Patet secundò Postulationem non inniti juri, sed gratiæ superioris, eam non confirmantis, sed per Dispensationis viam admittentis, Glossa in c. *Unic. V. Eligo in 6. ut infra* magis declarabitur.

4. Porro postulare iidem, qui eligere, possunt, arg. c. *Bona 4. V. Ceterum*: nimirum canonici aut Professi capitulares: & qui eligendi jus privilegiò vel diuturnæ Consuetudinis præscriptione acquisiverunt, Hostiensis in *Summa hic n. 9.* & Sylvester V. *cit. n. 4.* quia Postulatio, ut dictum, introducta est in subsidium Electionis, & ad eundem, quem ista, finem &, cum ista non potest, tendit.

5. Neque obstat; quòd ejusmodi privilegium & præscriptio sint strictæ interpretationis, & à casu ad casum non extendantur; cum plus non præscribitur, quàm possidetur, arg. *Reg. Sine possessione 3. in 6. Panormit. in c. Cum olim 18. de Præscript. n. 6.* Non, inquam, hoc obstat; quia imprimis Regula hæc fallit in iis, quæ sunt connexa & ad unum finem tendunt, ut electio, & in i-

stius subsidium introducta postulatio. Deinde; quia, qui est in quasi possessione juris eligendi, ratione istius indretitè & in consequentiam quasi possidet jus postulandi; quia hoc illi accessorium est, & ordinariè connexum; ideòque cum illo præscribitur, arg. c. *Cum in tua 30. de Decimis Panormit. in c. Bona cit. n. 4.* & Passerinus de *Electioe cap. 24. n. 4.* ubi compromissarium ad eligendum, etiam ad postulandum datum, advertit cum Glossa in c. *In causis 30. V. Postulatio, de Electione.*

Postulari autem ad prælaturas Ecclesiasticas non quæcunque, sed eæ duntaxat personæ possunt: quæ, quantumvis aliàs sint idoneæ, Ecclesiæ utiles & cum publica ædificatione præfaturæ meritis sperentur: tamen, quò minus per electionis viam ad illas evehantur, laborant defectu, sive impedimentò Canonico hoc est, Ecclesiastico Jure introducto, & in quo possit & ordinariè solet dispensari, ut colligitur ex c. 1. & cum Glossa ibi V. *Personam* advertit Panormit. in c. *fin. cit. n. 8.* Hujusmodi impedimenta sunt defectus Natalium, c. *Innovatus 20. de Elect.* ætatis legitimæ, c. *Cum multis 19. eodem Tit. sacri Ordinis, respectu Episcopatus, can. fin. dist. 60. c. A multis 9. de Erate & qualis. & c. Dudum 22. de Elect.* vinculum spiritualis matrimonii, quò Ecclesiæ suæ Episcopus est alligatus, c. *fin. hic*, defectus Professionis respectu Abbatia vel Præposituræ Regularis, c. *Cum monasterium 13. de Elect.* & quidam alii: quorum aliquò laborantes ad Prælaturas Ecclesiasticas eligi Jure prohibitos, ad *Rubr. seq. à n. 59* ostendam: cum verò ad istas postulatur, eorum electioni obstat impedimentum superioris manifestandum: secus Postulationem tantam fore, arg. c. *Innotuit cit. notat Loman in Rubric. coroll. 2.*

- Dixi. *Impedimentum Canonicum: &*
 7. *in quo dispensari potest, & ordinariè so-*
let. Prius; quia criminosi, infames, &
 quicunque Naturali aut Divinò Jure in-
 habiles sunt, ut furiosi, amentes, rudes
 omnino illiterati &, qui aliunde Ecclesiæ
 inutiles, aut sine ædificatione præfuturi
 judicantur, sicut eligi, sic & postulari
 non possunt, Hostiens. *l. cit. n. 2.* ita; ut,
 qui tales aliòsque defectu indispensabili
 laborantes scienter postulerent, vel po-
 stulationem ob vitium personæ, ut ad
Rubr. seq. n. 23. statuatur, rejectam re-
 novarent, pro ea vice eligendi & postu-
 landi potestate privarentur, *c. Gratum 2.*
hic & c. Scripsum 40. de Elect. Quæ po-
 testas pro ea vice ad alios (etiam si nume-
 rò pauciores, imò unicuique esset) qui in
 postulationem indigni non consenserunt,
 sed contradixerunt, devolveretur, ut *arg.*
l. Sicut 7. §. 2. ff. Quod cujusque universi-
tradit Glossa in c. Gratum cit. V. Paucio-
res; quia regulariter in delictis, quod à
 majori parte fit, non censetur factum ab
 omnibus; ideòque poena plurium nocen-
 tium non afficit pauciores innocentes, Pa-
 normit. *in c. cit. num. 6. & ibi Laiman*
num. 2.
 8. Posterior; quia, sicut eligi, sic po-
 stulari de Jure etiam nequeunt personæ,
 laborantes impedimentò, etiam Canonico,
 si in hoc nequeat, vel potiùs ordinariè
 non soleat dispensari: cujusmodi im-
 primis sunt bigamus, *c. Nisi cum pridem*
10. de Renuntiat. Laiman *in Rubr. cit.*
 spurius sive ex damnato coitu procreatus,
cit. Hostiens. n. 6. & Sylvester n. 3. e-
 pilepticus ab ejusmodi morbo non libe-
 rat, saltem per annum, *can. Communi-*
ter 3. dist. 33. & c. Cum inter 21. de Elect.
 membrò mutilatus, *c. Exposuisti 6. de*
Corp. viriat. homicida & alii similes.
 Deinde, temerarius violator interdicti, *c.*
 1. & hujus textùs *arg. excommunicatio-*

nis censurà irretitus, Barbofa *in c. cit. n.*
 3. Denique Religiosus Mendicans ad Ec-
 clesiam secularem inferiorem cathedrali,
 & ad Monasterium quodcumque extra
 suum Ordinem: & quicunque 27. æta-
 tis annum non exegit, ad Ecclesiam Cathedra-
 dralem, *Extravag. Unica inter commu-*
nes; quæ non tantùm ejusmodi personæ
 postulatio irritatur: sed, qui talem scienter
 postulârunt, à jure eligendi & po-
 stulandi pro una vice, & à beneficiis Ec-
 clesiæ, ad quam postulârunt, per trien-
 nium suspenduntur: postulati verò, si in
 Curia Romana postulationem suam fuerint
 profecuti, seculares usque ad 35. an-
 num, Regulares verò, extra suorum Or-
 dinum administrationem, ad quascunque
 dignitates & beneficia Ecclesiastica eligi
 vel postulari perpetuò prohibentur; itaque
 utrique puniuntur in eo, in quo deli-
 querunt, *juxta c. Inter ii. de Excess. Præ-*
lat. Vivianus in Extravag. cit.

Neque obstat praxis Germaniæ no-
 stræ Ecclesiarum Cathedralium & Metro-
 politanarum, ad quas postulari viden-
 mus Principes, qui 27. imò 20. ætatis
 annum non attigerunt; quia ea praxis niti
 videtur indultis sedis Apostolicæ, ali-
 quando in ipsis collationibus canonica-
 tuum, in diversis Ecclesiis simul obtinen-
 dorum, cum ejusmodi sublimibus perso-
 nis, sicut alia collationibus: sic etiam æta-
 tis &c. earum postulationi, & aliquando
 electioni obstantia alia impedimenta dis-
 pensativè relaxantis, intuitu Prælatorum
 in Ecclesiis illis faciliùs obtinen-
 darum.

Dubium de quadruplici genere Per-
 sonarum est, an ad Archi-vel Episcopatu-
 tus aliàsque Prælaturas eligi possint, vel
 debeant postulari?

Et imprimis quidem de Episcopo
 nondum consecrato. Non quidem eò, *10.*
 qui, Papa consentiente, ante consecratio-
 nem Epi-

Ec 3 nem Epi-

nem Episcopatus renuntiavit; cum enim talis, uti &, qui post consecrationem renuntiavit, nulli Ecclesie alligatus sit, si aliud non obstat, ad Ecclesiam quamcunque eligi valebit, *arg. c. fin. Panormit. in c. fin. n. 5. Baius de Elect. cap. 34. n. 4. & Passerin. de Elect. cap. 24. n. 35.* sed de eo, qui Ecclesie suae non renuntiavit: de quo dubitandi ratio est; quod inter ipsum & Ecclesiam spirituale conjugium perfectum non sit ante consecrationem; cum per hanc primum consummetur, *c. fin. de Translat. Episc.* sed, etsi hoc ita se habeat, nihilominus, quia matrimoniale vinculum, per electionem istiusque acceptationem inchoatum, per confirmationem ratum efficitur, Episcopus confirmatus, etiam ante consecrationem, Ecclesie suae spiritualis conjugii vinculo jam est alligatus; ut ab Ecclesia sua recedere nequeat, *c. Inter 2. eodem Tit.* ac proinde per electionis viam aliam ejusmodi praelaturam consequi non possit, antequam vinculum illud sedis Apostolicae, ab Episcopo jam confirmato factam renuntiationem admittentis, autoritate sit dissolutum, vel, vinculo illò integro manente, eligibilitatis indultum sit imperatum, Panormit. *in c. fin. cit. n. 7. & Petr. de Baifio de Elect. p. 2. cap. 34. num. 5.* Ubi ulterius

Dubium est de Episcopis Titularibus, ut sunt Germaniae nostrae Episcoporum vicarii in Pontificalibus, qui vulgò Suffraganei nuncupantur; hos enim electionis ordinariæ viâ ad Archi- & Episcopatus alios euehi posse, suadet non contemnenda ratio; quòd, licet alicujus Episcopatus in partibus, ut vocant, sive in terris ac provinciis à Saracenis aliisque infidelibus occupatis titulum à sede Apostolica collatum habeant, ejus tamen non habent possessionem vel administrationem; cum careant populò & clerò,

atque etiam facultatibus, *Clement. in plenisque 5. pr. de Elect.* ut, si ad congruam sustentationem eis non sufficiat proprium patrimonium, de ea ipsis aliunde provideri sit necesse; atque idcirco perinde ut, qui propria Ecclesia cathedrali vel Metropolitana carent aut his renuntiaverunt, ad Archi-vel Episcopatum alium ordinariæ electionis viâ promoveri posse videantur. Sed ratio hæc ejus ponderis non est, ut hoc persuadeat; cum enim tales non solum aliorum Episcoporum instar veri consecrati & caractere Episcopali insigniti, juxta Pontif. Rom. *Tit. de Consecr. electi in Episc.* ac proinde veri Episcopi sint, *can. Legimus 24. V. Ubicumque, lib. 93.* Sed Ecclesiis etiam suis per anulum desponsati & spiritualis matrimonii vinculo sint alligati, *can. Sicut vir. 11. can. Sicut alterius 39. Sc. 7. q. 1. c. Inter corporalia 2. & c. fin. de Translat. Episc.* canonibus ejus vinculi impedimento electioni ordinariæ obstante, ad Archi-vel Episcopatum alios per capitulariù suffragia extraordinariâ duntaxat postulationis viâ poterunt promoveri, *c. fin. hac Rubr. Sc. Scripsum 40. de Elect.* Nisi, quando Ecclesiis suis desponsati sunt, vel postea obtinuerint Breve sive indultum Eligibilitatis: quòd eis à sede Apostolica concedi solet.

Alia ratio est Episcopi solum electi hic enim, cum electioni etiam acceptata, quantumvis spirituale conjugium inchoatum jam sit, *c. Inter 21. de Elect.* renuntiare ante confirmationem liberè possunt per *text. c. Si electio 26. eodem Tit. in 6. ibi. Vel post consensum electioni presertim renuntiet juri suo*, quò minus ad Archi-vel Episcopatum eligi valeat, nihil obstat, Panormit. Baius *l. cit. & Lianman in c. fin. cit. n. 2.*

Deinde, de praelatis Episcopo inferioribus; de quibus dubitandi ratio est, quòd spiritualis matrimonii vinculo Ec-

electis suis etiam ipsi alligentur; cum, sicut Episcopi, sic etiam ipsorum obitu Ecclesiæ viduentur, *c. Ne pro defectu 41. de Elect.* cuius *pr. Innocent. III.* sicut de Cathedrali, sic de Regulari loquens, *Ne Ecclesia*, inquit, *viduata dispendium patiatur.* Verum, quia inter hos & Ecclesias non, ut inter istas & Episcopos intercedens, verum: sed tantum improprie dictum spirituale matrimonium est, ipsos per electionis viam ad Episcopatus aliasque prælaturas promoveri posse, DD. passim affirmant cum *citt. Panormit. n. 8. & Baisio n. 4.*

14. Tertio de S. R. E. Cardinale. Quem, si Episcopus sit, propter conjugii spiritualis vinculum postulandum, patet. Cardinalem etiam Presbyterum, vel Diaconum necessariò postulandum, cum Hostiensis *in c. Ecclesia 57. de Elect.* & Sylvestro *V. Postulatio 9. 3. Azor p. 2. Instit. lib. 4. cap. 3. q. 15.* desumit ex *c. Bone 3.* ubi Cardinalis Presbyter ad Archiepiscopatum Ravennatensem dicitur postulat. Ratio est; quia Cardinalis major est Episcopo: & saltem in Ecclesia sui Tituli, obtinet Jurisdictionem quasi Episcopalem, *c. His que 11. de Majorit. & Obed.* Indecens autem est; ut à majore dignitate per electionem descendatur ad minorem, *can. Legimus 23. in fine dist. 93. & c. 1. de Transl. Episc.* quod tamen fieret; quia ad Episcopatum descendens excideret Cardinalatu, *arg. c. De multa 28. & Extravag. Execrabilis Joan. XXII. de Præbend.* Eligi contrà hujusmodi Cardinalem posse, cum Panormit. *in c. Ecclesia cit. n. 15* & aliis Interpp. docet *citt. Baisius cap. 35. à nu. 4.* cum propter *c. Ecclesia cit.* ubi disertè dicitur electus: tum verò; quòd in eo cesset ratio, ob quam eligi Cardinalis Episcopus non potest. Sed melius Laiman *in c. Bone cit. n. 4. Passerin. cit. cap. 24. num. 37.* En-

gel *ad hanc Rubric. n. 8. & 9.* & alii RR. propositum dubium resolvunt ope distinctionis inter postulationem Solemnem hæctenus declaratam & necessariam; ut ad prælaturam evehatur, qui laborat impedimentò exigente dispensationem: & Simplicem sive non-Solemnem, consistentem in petitione licentiæ sive consensûs alicujus superioris, cui obstricta est persona electa: etsi, quòd impedimentò Canonico non laboret, nulla opus habeat dispensatione: sicut contingit, quando Religiosus Professus eligitur ad Ecclesiam Cathedrali; ad hanc enim ut transeat, necessaria est licentia sive consensûs sui Abbatis, sine quo in sui electionem consentire non potest, *c. Si religiosus 27. c. Si Abbatem 36. de Elect. in 6.* secundum quam distinctionem Cardinali Presbytero vel Diacono, in alicujus Ecclesiæ Episcopum assumendo, non-Solemnem, sed Simplicem duntaxat postulationem necessariam esse, cum *citt. docent Laiman in c. Bone cit. n. 4. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 11.* Rationem reddunt; quòd ex una, in Episcopum eligi nullò Jure prohibeatur: ex altera verò parte, obstrictus sit Ecclesiæ Universali & Romano Pontifici: quem in illa regenda consiliis debet adjuvare; ideòque sui electionem acceptare & illà relicta, ad particularem Episcopatum transire non potest sine licentia Papæ: quem in regenda Universali adjuvandò plerumque utilior est, quàm si resideat in Ecclesia particulari, ut dicitur *c. Bone cit.* Unde istius textus de postulatione non Solenni, quæ revera est electio, intelligendus est propter rationem potiùs, quàm *textum c. Ecclesia cit.* quia Cardinalem, cujus iste meminit, non Romanæ Ecclesiæ, sed solum Canonicum principalem, qui in aliquibus Ecclesiis ex privilegio Cardinalis vocatur, fuisse, *arg. c. can. Pa-*

15.

- ean. Pastorali 7. q. 1. existimant Barbofa in c. Bona cit. n. 3. & Gonzalez n. 16.*
16. Ratio allata in contrarium non urget; quia imprimis Cardinales Presbyteri & Diaconi, etsi hodie Episcopis majores sint officio & dignitate: minores tamen sunt Ordine Episcopali, in quo Episcopi pares sunt Papæ: qui propterea se Episcopum aliósque Episcopos *Fratres*: Cardinales verò, qui Presbyteri aut Diaconi tantum sunt, *Filios* tantum appellat, juxta *c. Quam gravi 6. de Crim. falsi & dicta Tit. 3. n. 102.* Deinde; quia ejusmodi Cardinales Ecclesiæ sui Tituli & Romanæ Universali alligati non sunt vinculo propriè dicti matrimonii spiritualis, sicut Episcopus Ecclesiæ Cathedrali: inter quam & ipsam intercedens vinculum matrimoniale vera causa est, cur ad alium Archi-vel Episcopatum promoveri tantum possit per viam postulacionis, *c. fin.* Denique quia, etiamsi à Cardinale ad alium, quàm sex Urbi vicinos Episcopatus assumptò, secundùm *Jura cit.* Cardinalatus videatur amitti, usu tamen & praxi; ne contra textum *c. 1. de Translat. Episc.* à majori dignitate ad minorem descendat, utrumque simul retineri consuevisse, observant *citr. Laiman, n. 4. in fine & Pirthing n. 12.*
18. Demum, de extraneis. Et Religiosos quidem Mendicantes ad Ecclesiæ Cathedrali inferioris & ad monasterii Ordinis diversi Prælaturam, ne postulari quidem: non-Mendicantes etiam, alicujus Religionis Regulam nondum professos, ad sui quoque monasterii prælaturam eligi non posse, jam est dictum. Religiosos autem professos ad Prælaturam Religionis & habitus diversi, licet eligi prohibeantur, *Clement. 1. de Elect.* casu tamen, quò ei cum ædificatione & utilitate præfutura judicantur, ad eam postulari posse, cum Glossa in *Clem. cit. V. Eli-*

gatur & Panormit. ibid. num. 6. docent Passerinus *cit. q. 24. n. 44.* & Wagner *cit. in Exegesi Clem. cit. V. Eligatur*, cum in *pr. cum cit.* Glossa *V. Homines & Panormit, n. 2.* monuissent, id etiam in Monialibus procedere; quòd masculinè comprehendatur fœmininum; atque idcirco dispositio, loquens de Religio, etiam locum habeat in Moniali, quando illus ratio etiam in ista procedit: Ratio autem; quòd rationi non congruat, ut homines disparis professionis vel habitus in eisdem monasteriis socientur: quæ redditur *Clem. cit.* in feminis non minus, quàm in viris religiosis procedat.

Simili ferè modò, clericum & monachum extraneum sive, qui de Ecclesiæ vel monasterii gremio seu congregacione non est, ad ejus prælaturam per viam postulacionis evchendum, Imola in *c. Cùm inter 21. de Electione n. 4.* & quidam alii apud Gloss. in *c. cit. V. Aliam* voluerunt propter textum *can. Abbatem 4. ibi Quoniam de sua congregacione monachorum electionem poposcerit, & can. Quam sit 18. q. 1.* ubi relatus Gregorius I. sive Magnus. *Dilecti Abbate*, inquit, *non extraneus eligatur: nisi de eadem congregacione, quam sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit: ex quorum textuum dispositione saltem casu, quò de gremio idoneus habetur, extraneum electionis passivæ incapacem esse, desumunt ex relecta à Gonzal. integra lectione c. Cùm nobis 19. de Elect. ibi, Licet cautè sit in SS. Canonibus, ut tunc quis ex aliena Ecclesiâ eligatur, si nullus in propria reperitur sacerdos idoneus. Accedit; quòd c. Cùm inter 21. extraneus non nisi duabus partibus, ut in postulacione cum electione concurrente fieri n. 28. dicam, in eum consentientibus obtinuerit prælaturam.*

Sed, licet omnino conveniens & honestius sit, ut, eum idoneus de Ecclesiâ vel monasterio

monasterii gremio vel Congregatione habetur, extraneo præferatur: & iste Capitularibus inuitis obtrudendus non sit, contra *can. Nullus 13. dist. 61.* Comuni tamen jure spectatō & Ecclesiarum specialibus Juribus seclulis, extraneos eligi ad Ecclesiarum, tam Secularium quàm Regularium, Præaturas posse, cum *cit. Glossa in fine & Panormit. in c. Cùm inter cit. n. 8.* defendunt Laiman *in c. cit. n. 3.* Miranda *Manual. Pralat. q. 23. art. 21. conclus. 1.* Donatus *Tom. 2. Prax. Regul. Tract. 5. q. 2.* Passerinus *de Elect. cap. 25. à n. 649.* & Barbosa *in c. Cùm inter cit. n. 2.* dummodo aliud impedimentum canonicum non obstat, Pro quibus facit *c. cit.* textus, ubi à Papa omnes oppositiones, & has inter etiam, quod electus extraneus sit, tanquam frivola rejiciuntur, præter eam, quæ epilepsie morbo laborare ferebatur. Ratio est; quod extranei electio jure cassata non reperitur, ut notat *Glossa in c. Ne pro defectu 41. V. Aliam de Elect.* Imò non solum privilegio Apostolico, sed Consuetudine etiam sive præscriptione introduci possit, ut una Ecclesia Prælaturam sibi ex gremio alterius eligere teneatur, ut colligitur ex *c. Cùm dilectus 8. de Conser. & c. Abbate 25. de V. S.*

Neque aliud evincunt extraneo oppositi textus; quia SS. Canones de gremio assumendum statuunt principaliter in favorem Capitularium: cui ab illis renuntiare posse, disertè habet integra lectio *c. Cùm nobis cit.* relata à Gonzalez. Et, licet aliqui apud *Glossam V. Aliam cit.* ad extranei electionem duarum partium consensum requiri existiment, contrarium tamen cum eadem defendunt DD. *cit.* & desumitur ex *c. Cùm nobis & c. Cùm inter cit.*

Neque obstat; quod vis Capitularis residere dicatur in duabus partibus

Capituli, *l. Nulli 3. Et. ff. Quod cuiusque universi* quia ejus dicti sensus est; quod, ut aliquid à Capitulo validè decernatur, congregatæ esse debeant saltem duæ partes eorum, qui de jure debent & volunt & commodè possunt interesse; non autem; quod in ejus decretum duæ partes debeant conspirare; cum regulariter sufficiat consensus partis majoris, *c. 1. De his que à majori & l. Quod major 19. ff. ad Municipal.*

ARTICULUS II.

De Postulationis Forma, & Admissione.

SUMMARIUM.

22. Forma electionis in non-Solemni:
23. Et Solemni etiam Postulatione observanda est.
24. Idem postulari & eligi simul nequit:
25. Nisi dubium sit de impedimento.
26. Postulatio fit per suffragia majora:
27. Secundum aliquos etiam, si concurrat cum electione:
28. Verius hoc casu, ista plus quàm tertiam, illa duas partes requirit.
29. Spectatò Jure,
30. Ratione,
31. Et praxi Curia Romana.
32. Conciliatio c. Quia propter 42. cum c. Scriptum 40. de Elect.
33. Obrinente vim Juris communis.
34. Expositio c. In causis 30. de Elect.
35. In concursu à plus quàm tertia parte electo acquiritur jus,
36. Sive Jus sive ratio spectetur.
37. Postulantes variare possunt ante:
38. Non post præsentationem postulationis:

FE

39. Quam

39. *Quam admittit, qui electionem confirmat.*

40. *Ex justa causa repellit sine injuria potest.*

41. *Secus ex debito officii admitti debet.*

22. **F**orma Postulationis eadem est, quæ Electionis; ut, quæ in ista, etiam in illa; ac proinde, si postulatio per scrutinium fiat, c.

Quia propter 42. de Elect. præscriptas solemnitates observandas, cum Panormit. in c. cit. n. 9. Innocentio in c. In causis 30. eodem Tit. n. 1. doceat Tabiena V. Electio n. 19. & V. Postulatio n. 1. Quod, sicut certum de Postulatione non Solenni; quia hæc vera Electio est, etsi à jure annexam habeat tacitam conditionem, obtinendi consensus superioris: ita dubium controversumque est de Solenni; in hac enim c. Quia propter cit. formam observari, tutum quidem consultumque, sed minime necessarium, cum citr. Hostiensis n. 10. & Sylvestro q. 2. mutatâ quam l. cit. tenuit sententiâ, existimat Laiman in c. Unic. in 6. n. 5. eumque secutus Pirrhing hic n. 31. & Passerinus de Elect. q. 24. n. 8. eâ præcipuè permoti ratione; quod in Postulatione, hoc ipsò; quod postulantes ab ea recedere & variare possint, locus non sit Decreto, ad Electionem Canonicam requisito, c. Quia propter cit. quò etiam nulla mentio sit Postulationis.

Verum, quia Postulationem Electionis, & hanc illius vocabulò comprehendendi, in Jure non inusitatum est, *can. Literas 14. dist. 63. & utraque, cum diversa ratio non est, æquiparatur, formam c. Quia propter cit. Electioni præscriptam, inclusò Jure speciali, etiam in Postulatione quoad ea, quæ istius naturæ non adversantur, observandam, censeo cum citr. Innocentio Panormit. & Tabiena: quorum opinio non parùm confirmatur partim; quòd Postulatio ele-*

ctioni subsidiaria sit: & cum istâ in eodem tractatu frequenter concurrat. Quo casu quomodo non eandem formam, quoad solemnitates, Postulationis naturæ non adversantes, in utraque observari necessarium sit, aut ea in sola Electione observari possit, non apparet: partim vero; quòd, cum ad eundem finem, scilicet constitutionem Prælati, utraque tendat, ideòque Postulationis admisso eandem vim habeat, quam confirmatio Electionis, non minorem, imò majorem diligentiam & accuratorem Postulationis exigat, quàm electio, hoc ipsò; quòd ista Ordinaria, Postulatio autem extraordinaria: & quia ad personam Jure impositam Ecclesiæ præficiendam tendit, minus favorabilis ad Prælaturas via sit. Ubi ad eò ipsam postulantium arbitrio à Jure permissam, omnino incredibile sit: & quia speciales solemnitates pro ipsa Jure proditæ non reperiuntur, solemnitates Electionis, quæ ipsius naturæ non repugnant, ipsi quoque præscriptæ videntur: & Papa, si quando Postulationem Scrutinii formâ non observatâ, celebratam admittit, Apostolicæ potestatis plenitudine usus, & defectus suppletis potius, quàm ordinariò jure processisse, existimandus. Unde

Dubium oritur, an una eademque persona eligi simul valeat & postulari. Ratio dubitandi est; quòd in aliis adibus ea, quæ sibi opponuntur, cum non possint, adjectâ clausulâ, ut valeant meliori modò, quòd de Jure possunt; etiam enim ultimæ voluntati adjici clausulâ, si non valeat Jure Testamenti, valeat Jure Codicilli, l. fin. C. de Codicill. Et à redemptore, læso ultra dimidium justipetiti, peti alternativè possit, ut venditio rescindatur vel defectus justipetiti suppleatur, l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vendit. c. Cum dilectis 3. C. de

Cum causa 6. de Empt. & vendit. &c. idem etiam postulari & eligi simul poterit, adjectâ clausulâ, ut valeat prout de Jure potest. Sed hac de re aliud statutum est *c. Unico in 6.* cujus textu à Bonifacio VIII. irritata sunt non tantum formæ, *Eligo postulando, postulo eligendo, eligo in postulandum & postulo in eligendum*; quod sint imperfectæ, iisque utentes sibi aliquò modò advenfentur; cum enim Electio nullum, postulatio verò aliquod impedimentum supponat, eligendo postulantem &c. impedimentum subesse quodammodo affirmant & negant; sed etiam forma *Eligo & Postulo, prout melius de Jure valere potest*; quòd contineat incertitudinem: quam, tanquam Ecclesiæ præjudiciosam, ab actu

25. Capitulari, quò de Ecclesiæ Prælatu constituendo agitur, Papa voluit abesse extracatum, quò rationabiliter dubitatur, an quis eligi possit, vel propter impedimentum opus habeat Postulatione. Quò tamen casu Electus vel Postulatus (intra mensem, *arg. c. Quam sit 6. de Elect. in 6.*) ne in incerto vagetur, se determinare debet, an Electionis vel Postulationis viam profequi velit: & determinatione semel factâ, consilium mutare, & ad alteram viam transire non potest, *c. Unico cit.*

Neque obstat paritas cum aliis actibus, admittentibus cumulationem; quia Papa, cujus dispositioni, sicut Prælatuæ aliæque beneficia Ecclesiastica, sic etiam ea obtinendi modi subsunt, aliud statuit de Postulatione, ut *in c. cit.* notat Laiman. n. 2. Neque hinc sequitur irritam esse præsentationem ita factam, *Eligo in presentandum*, si de patroni voluntate consistet; quia Præsentatio & Postulatio sunt modi ad Prælaturas perveniendi omnino diversi, neque iisdem Juris regulis definiti: à diversis autem non fit bonâ illatio, ut habet tritum axioma J. C. Tum.

Dubium secundò, & non ita pridem 26. magnis partium studiis agitata controversia est de numero suffragiorum, à Jure requisito ad Postulationem. Qua in re celebris & apud Interpp. & ceteros aliquis nominis & notæ DD. recepta semper fuit distinctio inter duos casus. Unum, quò Postulatio cum Postulatione: alterum, quò eadem cum Electione concurrat.

Et priori quidem, v.g. cum electorum aliqui Titium, alii Cajum, utrumque, quò minus eligi valeat, Canonicò impedimentò laborantem, postulant, ad Postulationem sufficere, quòd in eam major suffragiorum numerus conspiret, hodie vix est, qui inficietur; cum enim utriusque Postulatio via ad prælaturas extraordinaria; ac proinde præ altera favorabilis neutra sit, plura suffragia ad unam, quàm alteram exigendi ratio non fuit: & sicut in concursu Electionis cum Electione, sufficent majora, *arg. c. 1. De iis que à majori & l. Quod major 19. ff. ad Municipal. Panormit. in c. Bona 3. n. 12. Tholosan. de Elect. cap. 2. n. 11. Laiman. in c. cit. n. 5. & Gonzalez n. 14.*

27. Posteriori etiam casu, v.g. cum Capitularium aliqui Titium impedimentò laborantem postulant, alii Cajum à Jure non impeditum eligunt, Postulationem, per majora tantum suffragia celebratam, electioni prævalere, voluit Passerin. *Tract. de Elect. cap. 24. q. 15.* Quæ ejus Opinio suadetur ratione primò; quòd in omni tractatu Capitulari steter suffragiis partis majoris: & ab hac gesta subsistant, *c. 1. & l. Quod major cit.* & minori suffragiorum numero celebrata electio *c. Quia propter 42. de Elect.* irrita pronuntietur generaliter, non distinguendò, neque excipiendò casum, quò electio concurrat cum postulatione. Secundò; quòd hujus textus dispositioni derogatum non sit

Et 2. e. Scriptum

c. Scriptum cit. hoc casu postulationi duabus suffragiorum partibus non celebrata, Electionem à plus quàm tertia, dimidià autem minori parte factam præferente; cum, quòd istius Decretalis dispositio non sit Jus commune, sed provisio Papæ specialis: quæ effectum tantum sortitur ex consensu partium, sive quando eligentes & postulantes Electionem & Postulationem suam submitunt summo Pontifici; ut pro suæ voluntatis arbitrio, vel illam à majori, vel hanc à minori Capituli parte factam admittere possit: quod Glossa & Autor *citt.* desumunt ex verbis, *Si partes consenserint, & Si constiterit de mutuo consensu convenisse, procedas hoc modo;* tum verò; quia *c. Quia propter cit.* Conciliaris dispositio posterior est *c. Scriptum cit.* ac proinde istius contrariæ provisioni derogat, *l. Sed & posteriores 28. ff. de LL. & c. 1. de Constitut. in 6.* Tertio claro textu *c. In causis 30. de Elect.* in cujus casu Postulatio Episcopi ad Metropolitanam Ecclesiam Tholosanam, à tribus electoribus compromissarius celebrata, prævaluit electioni Archidiaconi, duobus duntaxat suffragiis nixæ.

28. Sed melius hoc posteriori casu ad Postulationem suffragiorum duas partes tertias exigi: ad Electionem contrà, ut prævaleat, tertià parte majorem illorum numerum sufficere, *in c. Scriptum cit.* cum Innocentio, qui postea summus Pontifex ejus nominis IV. fuit, indubitatè docent tres S. R. E. Cardinales & Ecclesiastici Juris Interpretum faciliè Principes Hostiens. *in c. cit. §. Sed et si Zabara. §. Quod si & Panormit. n. 13. & 14.* quorù doctrinam unanimi consensu amplexi sunt Sylvester V. *Postulatio q. 7.* Tholosan. *de Elect. cap. 2. n. 13.* Petr. de Baisio *de Elect. p. 3. cap. 35. n. 21.* Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 16. q. 15.* Laiman *2. Canon.*

de Elect. q. 7. Barbosa *Jur. Eccles. lib. 1. cap. 19. n. 18.* Pirthing ad præsentem Rubricam *n. 18.* & ceteri alicujus nominis & notæ Interpp. ac DD. præsertim Germani, à quibus, quod Archi- & Episcopos eligendi vetus Consuetudo in hæc ferè tantum Natione retenta sit, testibus *cit.* Azor *cap. 29. q. 3.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 11. §. & n. 1.* Electionis materia hodie potissimum celebratur.

Doctrinam hanc suam omnes præcipuè fundant *in c. Scriptum cit.* ubi Innocentius III. causam Postulationis ad Patriarchalem Sedem Constantinopolitanam, cum Electione concurrentis, Maximo Notario suo commisit: & cum Postulationem, si duplo majori numero suffragiorum facta deprehenderetur, admittere jussisset, subjicit: *Quod si ii, qui in Postulationem suffragia contulerunt, ad faciendum duplo majorem numerum simul omnes minimè suffecerint, tu, postulatione repulsà, Electionem auctoritate Nostrâ confirmes.* Quò Papæ scriptò præscriptam procedendi formam, tanquam Jus commune in similibus, Electionis cum Postulatione in discordia concurrentis, casibus observandam, contineri cum *cit.* Innocentio §. *Hæc hæc notabile monent Ant. de Butrio Hostiensis §. Si ad faciendum; Zabarella §. cit. Panormit. cit. n. 13. Imola n. 16. Wagnereck §. Duplo Gonzalez n. 10. in fine & alii VV. ac RR.*

Rationem reddunt; quòd Electio juri, per confirmationem à superiore roborando & stabiliendo, *c. Postquam & c. Scriptum cit.* Postulatio verò gratiæ admissionis, ab illo dispensativè obtinendæ, innitatur, per expressos textus *c. Bona 3. in fine & c. Postulationem §. hæc & ibi,* notata à Panormit. *n. 2.* Laiman. *n. 1.* Barbosa *n. 2.* & alii. Cujus ulterior, & fundamentalis ratio est; quòd

est; quòd, cum ex una, Postulatio via ad prælaturas Ecclesiasticas extraordinaria & minus favorabilis; quia ad has per ipsam vocantur personæ à Jure impeditæ: Electio autem ordinaria &, quod non nisi in personis de Jure habiles aut habilitas, cadere possit, favorabilis sit: ex altera verò parte; viam ordinariam & favorabilem expeditam planamque, præ extraordinaria & odiosa, vel saltem minus favorabili reddi, æquitas & ratio dictaret, laudatus Papa Innocentius III. &, à quo ejus rescriptum Juris Ecclesiastici Corpori insertum est, Gregorius IX. meritò requisiverint; ut quantumvis, sicut ad ceteros actus Capitulares, sic etiam ad Electionem (& ipsam etiam Postulationem, quando cum alia Postulatione concurrat) majoris partis consensus requireretur & sufficeret; ad Electionem tamen cum Postulatione concurrentem suffragiorum tertia parte major numerus sufficeret; ad istam verò requirerentur duæ partes tertiæ, in quibus vis Capitularis tota consistere censetur, per text. l. Nulli 3. ff. Quod cujusque universit. nom. & c. Cum nobis 19. de Elect. secundum integram istius electionem à Gonzalez relata.

31. Eadem doctrina novissimè & luculenter stabilita est ab Innocentio XI. Rmi ac Sermi Principis ac DD. Josephi Clementis Bavaricæ Ducis, plus quam tertiæ partis suffragiis celebratam Electionem ad Metropolitanam Ecclesiam Coloniensem, Postulatione Eminentissimi Cardinalis Fürstenbergii, quantumvis majori suffragiorum numero fulciretur, repulsâ, confirmante.

In contrarium allata non urgent. Primum; quia ex *cc. citr.* desumpta Regularis doctrina admittit exceptionem, sicut in compromisso, unanimum omnium consensum requirente, *c. In causis 30.*

de Elect. ibi, *A singulis de Capitulo statutum est, Glossa in c. Quia propter cit. V. Vice omnium & Panormit. in cit. c. §. vel saltem n. 2.* ita etiam in proposita nobis discorde Electione, suffragia tertiâ parte majora solummodo exigente, ex decreto Innocentii III. *c. Scriptum cit.* relatò.

32. Secundum; quia imprimis *c. Scriptum cit.* dispositio spectat specialem casum Electionis cum Postulatione in discordia concurrentis; ac proinde *c. Quia propter cit.* tradita generali Regulâ: non hæc ipsi derogat; quia generi quidem per speciem: non speciei per genus derogatur, *Reg. 80. ff. & 34. in 6.* Deinde; quia, esto *c. Scriptum cit.* rescriptum antiquius sit Concilio Lateranensi, & ex isto delumptò *c. Quia propter cit.* textu, postea tamen primum à Gregorio IX. in Decretales relata est, *c. Scriptum cit.* dispositio, in Electionis & Postulationis discorde concursu observanda. Denique; quia ab Interpp. aliisque DD. passim rejecta est *Glossa alleg. in c. Scriptum cit.* Juris Communis vim negans, saltem postquam illius Corpori autoritate Apostolica est insertum. Neque, ejus dispositionem ex solo consensu partium effectum sortiri, rectè desumitur ex verbis allegatis; quia priora intelligenda sunt de consensu in Maximum Notarium ad causam delegatum; ut ipsorum sensus sit, si partes eum, propositâ vs. suspicionis causâ, non reculent, sed consentiant, ut de causâ inter ipsas controversa cognoscat & pronuntiet, ut *in c. cit.* rectè notant Hostiens. §. *Si partes Imola n. 7. Panormit. n. 13. Innocent. Zabarella uterque in pr. & disertissimè Baldus n. 2.* postterioribus verò agitur de mutuo consensu Capitularium in admissionem ad Electionem cum Jure suffragii extraneorum; ut, quâ contraria Opinio potissimum

Ff 3

tissimum

eiffimū nicitur, Gloſa in c. cit. V. *Mu-
tuo* ipſamet advertit.

34. Tertium; quia e. *In cauſis cit.* à toto
Capitulo in quinque electores compro-
miſſum ita fuit; ut, quem iſti concor-
diter vel tres ex ipſis eligerent, pro E-
piſcopo ſine contradictione aliqua habe-
retur. Unde, cū ex his tres conven-
nirent in Epifcopum Convennarum, jux-
ta Compromiſſi formam, à compromiſ-
ſariis obſervandam, perinde fuit ac ſi à
toto Capitulo eſſet poſtulat, ut ex ipſo
c. cit. §. *Quia verò* textu conſtat & in c.
Licet vitanda 6. notat Fagnanus n. 34.
Ex his

35. Aliud, & priori non magis expedi-
tum dubium oritur, an in concurſu
cum Poſtulatione, per ſuffragia tertiā
parte majora celebrata, Electio de Jure
ita ſubſiſtat; ut ex ipſa acceptata electio
quærat jus ad prælaturam: quod cum
cit. Paſſerino diſertè negant Laiman. *Q. 2.*
Canon. de Elect. q. 7. Pirrhing *ad hanc*
Rubr. n. 18. & Engel *ad eandem Rubr.*
num. 6. exiſtimantes, tali caſu in arbi-
trio ſuperioris eſſe, vel Poſtulationem
admittere, vel Electionem confirmare.

36. Verū; quia DD. iſti pro ſua O-
pinione Juris textum non allegant, eam-
que non firmant ulla ratione, hujusmodi
etiam Electionis acceptatione jus ad præ-
laturam quæri, ex SS. Canonum Interpp.
& DD. (etſi rem hanc ex inſtituto for-
taſſis nemo diſcuſſerit) ferè, qui cete-
ris autoritate præſtant, ſentire: & non
obſcurè deſumi videtur partim ex fami-
gerati c. *Scriptum* verbis, *Tu Electionem*
Plehani cum Poſtulatione, in quam col-
lata ſuffragia ad duplo majorem nume-
rum non aſcendunt, concurrentem, *au-*
thoritate noſtra confirmes: quā, hoc eſt,
Apoſtolicā autoritate nuperrimè ſimi-
lem Electionem ad Sedem Archiepiſco-
palem Colonienſem diſertè confirmatam,

antè monui. Cū ergo confirmatio in
confirmando ſupponat jus, partim; quod
ſicut matrimonium carnale per ſponſalia
de futuro (ſponſis indubitatè jus tribu-
entia, can. *Deſponsatas cum ſeq.* 27. q.
2.) inchoatum per ea, quæ de præſen-
ti contrahuntur, ratum efficitur, ita
per Electionem inchoetur matrimonium
ſpirituale inter Electum & Eccleſiam, per
confirmationem ratificandum, c. *Inter*
2. & *Licet* §. *de Translat. Epifc.* partim
verò; quod confirmatio ſi actus præ-
cedat, non det eſſe: ſed faciat eum for-
torem & majoris roboris atque autho-
ritatis: quod pro Regula tradit Baldus
in l. *Leges C. de LL. n. 5.* & l. *Ex placito* 3.
C. *de Rerum permut. n. 8.* & propterea
dicatur eſſe Neceſſitatis, & ſapere Juſti-
tiam, ut in c. *Poſtquam cit.* cum Joan.
Andr. n. 2. & Ant. de Butrio n. 5. tra-
dit Laiman, n. 1. cū, inquam, confir-
matio jus ſupponat in confirmando, per
Electionem, quæ confirmanda à SS. Ca-
nonibus dicitur, omnino jus quæſitum
ſupponitur electio.

Confirmatur, partim autoritate
cit. Innocentii & Zabarellæ §. *Quod*
aliorumque Interpp. hujusmodi Electionem
ei, quæ à majori & ſaniori parte
extra concurſum facta eſt, æquiparan-
tium: partim verò ratione, ob quam
ejusmodi Electio præferenda dicitur Poſ-
tulationi; quod nimirum iſta nitatur
Gratiā: illa verò Jure, quod diſſicilius
expugnatur. Quæ ratio à laudatis Bo-
trio, Imola & Vallenti *Parati. hic n. 4.*
aliisque VV. & RR. redditur: & mani-
feſtè ſupponit, in propoſito caſu per
ſuffragia tertiam partem excedentia, E-
lectio quæſitum jus: propter quod ejus
conditio melior ſit, quam poſtulationis
ſuffragia ſolum majora.

Dubium tertio eſt de Variatione,
ſive reſeſſu à Poſtulatione. Quam ante-
non eſt.

non etiam postquam ista postulantium subscriptionibus roborata & superiori jam præsentata est, permissam, desumitur ex *c. Bona 4.* Rationem prioris dat Panormit. in *c. cit. n. 10.* ubi generalis Regulæ instar tradit; quod variare sive consilium mutare liceat, si ius alteri non sit quæsitum, arg. à contrario *Reg. 33. in 6.* Neque obstat; quòd juxta *Regulam 21. in 6.*

38. *Quod semel placuit, amplius displicere non posse;* quia ista tantum procedit in rebus, quæ vel absolutè, vel sine alieno præjudicio mutationem non admittunt: ut sunt matrimonium, electio respectu eligentium, postquam ab electo est accepta, aditio vel repudiatio hæreditatis, Streinijus ad *Reg. cit. n. 2.* Posterioris autem ratio ab ipso Innocentio III. Papa *c. Bona cit.* redditur; quia, si à Postulatione jam præsentata possent recedere postulantes, nobis frequenter illuderent: & judicium nostrum ab eorum arbitrio pendere videretur: quod esse non debet, ut addit Glossa in *c. cit. V. Illuderent.*

Neque etiam; quòd per postulationem ante ejus admissionem nullum jus acquisitum sit postulato, *c. Postulationem 5.* quia, etsi variationi non obstat istius jus, obstat tamen autoritas superioris: quam neque illusioni, neque inferiorum arbitrio obnoxiam esse, decet: & quòd facta præsentatione actio omnino perfecta sit quoad postulantes, Gonzalez in *c. Bona cit. n. 9.*

39. Admissio Postulationis de Jure competit superiori, cujus est ad prælaturam Electum confirmare: dummodo super defectu sive impedimento dispensandi habeat potestatem; sic enim ad Cathedrallem vel Metropolitanam, saltem in Germania nostra solus Papa: ad inferiorem autem Ecclesiam vel prælaturam postulatam admittere potest Episcopus; dum-

modo Ecclesia vel prælatura ab ejus Jurisdictione non sit exempta: & ipse potestatem habeat, super personæ postulatæ impedimento dispensandi, Sylvester *V. cit. n. 5.* Rationem cum Panormit. in *c. fin. cit. n. 10.* reddit Laiman in *Rubric. in fine;* quòd Postulationis admissio vim habeat Confirmationis. Unde

Dubium oritur, an Postulatio superiori præsentata possit repelli, Non posse, quando postulatus idoneus, & postulatio in concordia, aut saltem à duabus partibus Capitularium est facta, existimat Panorm. in *c. Postulationem cit. n. 2.* Sed verius, & apud DD. magis receptum est contrarium, quòd desumitur ex *c. cit. textu,* ibi, *Licet per hujusmodi postulationem nullum jus sit alicui, sive postulanti sive postulato, acquisitum, ideoque sine præjudicio alicujus eam potuissimus repellere:* qui textus absque ullo Juris fundamento ab Imola *n. 1.* intelligitur de casu, quòd Postulatio in discordia, vel à paucioribus, quàm à duabus partibus est facta; quia hoc ipsò; quòd Postulationis etiam unanimiter factæ admissio contineat gratiam superioris dispensantis, debita non est ex Justitia, *c. Bona 3.*

Propter hanc causam etiam unanimiter, præsertim Episcopus ad aliam Ecclesiam, postulatus sui postulationi non absolutè: sed tantum sub conditione admissionis, à superiore vg. Papa obtinendæ, consensum præstare, eamque istius dispositioni committere valet, *c. Cupientes 16. §. Denique de Elect. in 6.* Glossa ibi; *V. Consensum & Panormit. in c. fin. hinc n. 11.*

41. Quæ etsi ita se habeant, nihilominus omnium, vel saltem duarum partium Capituli suffragiis, atque ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ factam postulationem, superior admittere tenetur ex debito Officii sui: sicut ratione istius

istius tenetur ad dispensationem in votis, in matrimonii Ordinumve impedimentis &c. quando ea ex iusta, præsertim necessitatis aut utilitatis publicæ, causa postularur, ut rectè observat Laiman *de Canon. cit. q. 8.* Unde, si ejusmodi postulatio à superiore, Papà inferiore, reiteretur, postulantes, etiam actio-

nem propriè dictam non habeant, officium tamen superioris implorare & petere possunt, ut recusantem ad postulationis admissionem compellat, *arg. c. Nullus 17. de Jure Patronat. Glossa in c. c. Bone 3. V. Gratia Panormit. ibid. n. 15. & Laiman n. 7.*



TITVLVS VI.

De Electione & Electi Potestate.

Postulatio Extraordinaria: Ordinaria autem magisque favorabilis & Germaniæ nostræ Ecclesiarum frequentissimò usitata ad Prælaturas Ecclesiasticas via est Electio: cujus Natura Formæque & electi Potestas præsentis Rubricæ subiectis Constitutionibus Apostolicis latè declaratur.

ARTICVLVS I.

De Electionis Natura.

SUMMARIUM.

1. Electionis varia significatio,
2. Et propriè acceptæ definitio.
3. Eâ persona Jure idonea,
4. Ad Prælaturas Pastorales vocantur:
5. Ad quas acceptata jus ad rem tribuit electio.
6. Electionis differentia à libera Collocatione:
7. A Nominatione in tractatu Electionis,

8. Et extra hunc factâ:
9. A Præsentatione,
10. Et Postulatione.
11. Electio & Vox, alia Activa, alia Passiva est.
12. Privatio Vocis in Capitulo in Rubrica de Activa est exaudienda.

Electionis nomen in Jure non eadem semper, sed variâ magisque aut minùs latè patentem habet significationem: & aliquando quidem quamcumque alicujus personæ, v.g. electoris, compromissarii, vel arbitrarii. *In causis 30. hac Rubric. & c. Cum specialis 61. de Appellat. imò etiam unius rei ex pluribus delectum denotat, Rubric. & text. ff. de Optione vel elect. leg. & lxx. In alternativis 70. in 6.*

Ad personas etiam, earumque ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas vocationem, restrictum Electionis nomen transfariam: & primò quidem latissimè sumitur pro quacumque ad illa vacantia vocatione, approbatione & assumptione: & significatione sua non solum Electionem propriè